



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

11 De primo genere relationum, in numero vel vnitate fundato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

nem fundari in potentia, hoc ipso indicatur terminari etiam ad potentiam vel effectum, si relatio non in nuda potentia, sed ut est sub actione fundetur: sic enim relatio potentiae actus terminatur ad passivum, & è conuerso: relatio vero potentiae agentis terminatur ad suum effectum. In tertio autem genere clarius constat, relationem mensurabilis ad mensuram terminari. Non est ergo illa distinctio ita sumpta ex fundamentis, quin termini etiam includantur. Cum enim haec sint duo principia suo modo intrinseca relationum, neutrum potest excludi ab earum constitutione & distinctione; sed fundamentum est quasi materiale, terminus vero quasi formale, quia est ultimum in quod tendit relatio.

De sufficientia dictae diuisionis.

XV. Tandem, quod illa diuisio sufficiens sit, & complectens omnes relationum species, quae ad predicamentum ad aliquid pertinere possunt, omnes citati auctores docent. Rationem autem sufficientiae eius tradit Diuus Thomas quinto Metaphys. sect. 17. Quia tribus tantum modis contingit vnam rem ordinari ad aliam, scilicet. vel secundum esse, secundum quod vna res pendet inesse ab alia, & sic est tertius modus; vel secundum unitatem actuum & passivum, secundum quod vna res ab alia recipit, vel alteri confert aliquid, & sic est secundus modus, vel secundum quod quantitas vnus rei potest mensurari per aliam: & sic est primus modus. Difficilis vero est haec ratio, nam habitudo ad aliud secundum dependentiam in inesse, si generatim sumatur, magis videtur pertinere ad secundum genus, cum effectus pendeat in esse à sua causa: si vero sumatur secundum peculiarem modum dependentiae, quae est scientiae vel potentiae ab obiecto, sic tot essent distinctiones modi relatiuorum, quot sunt modi dependentiarum. Cur enim potius illa modus dependentiae constituit peculiare genus relatiuorum, quam alius? Item falsum videtur, quod quantitas ut habet rationem mensurae fundet primum modum, tum quia Aristoteles non assignat ibi rationem mensurae, sed unitatis vel numeri, quae est longe diuersa ratio; nam quando duae quantitates dicuntur aequales, non est vna mensura alterius, nec è conuerso, nec inter eas hoc attenditur, sed ratio unitatis, & idem à fortiori est de similitudine, vel idèitate, & ideo, ut diximus, unitas ibi non sumitur quantitatiue, sed generalius. Tum etiam, quia ratio mensurae quantitatiue non est per se apta ad fundandam relationem realem, cum solum sit extrinseca denominatio rationis, ut supra tactum est.

XVI. Aliam rationem huius differentiae indicat eodem loco Alexand. Alenf. dicens, illam diuisionem sumptam esse ex tribus modis vniuersalibus entis, qui sunt, idem & diuersum, quoad primum: potentia vel actus, quoad secundum, & perfectum (inquit) vel imperfectum, quoad tertium, eo modo quo imperfectum à perfecto mensuratur, & diminutum à completo: & quia isti modi sufficienter variant naturam fundamentorum, id est sunt tres species relationis. Sed difficile est, quod ait, tertium membrum sumi ex modo entis secundum perfectum vel imperfectum: nam, licet sensus referatur ad sensibile secundum illud genus, non mensuratur ab illo ut imperfectum à perfecto, sed solum dicitur mensurari tanquam à termino specificante, qui interdum potest esse perfectior, interdum aequalis, interdum minus perfectus, ut videre etiam est in intellectu & intelligibili. Deinde, quamuis asserat illos tres modos sufficienter diuidere fundamenta relationum, non tamen rationem sufficientiae reddit, neque ex vi illius explanationis declarat distinctionem eorum inter se. Nam etiam potentia & actus comparantur ut perfectum & imperfectum, & potentia dici potest mensurari per actum, quatenus illi proportionatur, & commensuratur, propter quod

etiam dicuntur potentiae per actus specificari. Existimo ergo nullam aliam rationem sufficientiae Aristotelem habuisse, praeter inductionem quandam, quae intellexit, nullam inueniri relationem quae ad aliud ex dictis capitibus reuocari non possit: quod non potest melius constare, quam respondendo difficultatibus tactis. Nam si nullam inuenimus relationem, quae non habeat aliquod ex his fundamentis, sufficiens signum nobis erit, diuisionem illam sufficientem esse.

SECTIO XI.

De primo genere relationum, in numero, vel unitate fundato.

AD singulas difficultates Sectione superiori propositas, maioris claritatis gratia fere singulis sectionibus respondemus.

Ad primam igitur respondetur, aliud esse loqui de duabus relationibus duorum extremorum, quae dicuntur in unitate fundari, aliud vero de singulis earum. Vnaquaeque enim duarum relationum similitudinis, verbi gratia, fundatur in vna qualitate in quantum in se est vna unitate formali, non quidem quantum ad id quod addit unitas supra ens, nam illud est negatio, & ideo non potest fundare relationem realem, ut recte argumentum probat, sed quantum ad illam positivam rationem entis, quae subternitur illi negationi. At vero loquendo de ambabus relationibus duorum extremorum, illae dicuntur fundari in unitate eorum, quia ratio cur simul confluant illae duae relationes, positis illis duobus extremis, non est solum quia singula extrema habent inter se talem unitatem, sed etiam quia illa unitas est eiusdem rationis in utroque: quod idem est ac si diceretur, ideo illa referri inter se, quia habent convenientiam realem. Et quamuis haec convenientia non sit aliqua unitas realis illorum duorum extremorum inter se, ut bene etiam in argumento sumitur loquendo de propria & formali unitate: datur tamen in re fundamentum illius unitatis, siue quoad negationem, siue quoad unitatem rationis: & illud fundamentum sufficit, ut in illis extremis tales relationes confluant.

Et simili modo respondendum est ad alteram partem de relationibus fundatis in multitudine, distinctione vel diuersitate. Nam licet multis propter illud argumentum probabiliter visum sit, illas relationes non esse reales sed rationis, quia non habent reale fundamentum proximum, vel formalem terminum: nihilominus loquendo cum communi sententia & consequenter, verius dicitur eandem esse rationem de his relationibus, & de illis quae fundantur in unitate. Nam licet distinctio includit negationem, ita etiam unitas: & è conuerso, sicut negatio quam dicit unitas supponit entitatem quae potest esse fundamentum relationis, ita etiam distinctio realis est inter extrema realia, in quibus fundatur negatio ibi inclusa: in eis ergo ut realia sunt, poterit etiam fundari relatio realis. Vnde in exemplis ibi adductis, quamuis verum sit in relatione inaequalitatis alterum extremum carere parte aliqua magnitudinis alterius extremi, tamen relatio non fundatur formaliter in ea carentia, sed in hoc quod haec quantitas tanta est, illa vero tanta. Et idem est de dissimilitudine: superponitur enim duas essentias, quarum vna non est alia, non tamen fundatur proxime in illa negatione, sed in ipsismet essentis, quatenus secundum unitates formales plures essentialiter sunt. Quod declaratur exemplo, nam lucidum & tenebrosum etiam habet dissimilitudinem, quoad illam negationem, quia in vno non est forma lucis, quae est in alio, & tamen non est inter eas relatio realis dissimilitudinis, quia ex parte

parte alterius extremi, nec est fundamentum, nec formalis terminus politius talis relationis.

Relatio unitatis in rebus omnium predicamentorum fundari potest.

IV. **I**N secunda difficultate multa tanguntur, quæ singulas possent quaestiones postulare: ea tamen breviter transigemus, ne in explicandis minutissimis entibus nimium morosi simus. Primo itaque petitur, an relatio similitudinis, & alia huius generis, fundari possent in sola quantitate & qualitate: vel etiam in rebus aliorum predicamentorum. Et quidem de substantia iam vidimus sectione precedente eandem esse rationem, quoad hanc partem, de quantitate, & qualitate. Et ratio ibi facta videtur mihi concludere de quacunque vel modo seu entitate, præsertim aboluta ut interim relationes omittamus, cur enim duo calores sunt realiter similes, & ut sic realiter referuntur, & non duæ calefactiones, vel duo ubi, & quæcunque alia similia? Item inter duas actiones est vera & politica contrarietas: hæc est autem relatio, quæ ad hoc genus pertinet, fundatur enim in peculiari quodam modo distinctionis. Itaque quantum ad cetera predicamenta, extra ad aliquid, facile concedimus illationem ibi factam. Neque contra hoc consequens, quantum ad hanc partem, aliquid ibi obicitur. Verum est, D. Thom. 5. Met. lect. 17. omnino excludere quatuor ultima predicamenta, ut non possint esse fundamenta relationum, quia magis (inquit) consequuntur relationem, quam possint relationem causare. Sed exponi potest, ut intelligatur de his predicamentis secundum proprias rationes eorum, non vero secundum quod habent proportionem aut convenientiam cum aliis in ratione unitatis, vel distinctionis.

Vna relatio quomodo aliam fundare possit.

V.
Prima sententia

MAIOR vero difficultas est de ipsismet relationibus, in qua insinuat secundum & generalis difficultas, an relatio possit fundari in relatione. Est enim multorum sententia, relationem nunquam posse in relatione fundari. Ita sentit D. Thom. 1. p. qu. 42. art. 4. & 2. contr. Gent. ca. 13. & q. 7. de potent. art. 11. & in 1. d. p. 1. a. 1. idque sequuntur frequentius Thomista, Sonc. 5. Met. q. 29 ad 1. Ferr. 4. contra Gent. cap. 11. Fundamentum præcipuum est illud de processu in infinitum, qui inde sequeretur. Sicut ob rationem similem ad actionem non potest esse actio, nec ad motum motus, & in uniuersum procedendo ab effectu formali ad formam, si forma ipsa aliquo modo participat effectu vel denominationem eius, sistendum est in illa, ut per se ipsam talis sit, quod aliter dici solet procedendo à quod in quo, sistendum esse in quo. Ergo cum relatio sit, qua relatiuum refertur, sistendum est in illa, ut non per aliam relationem referatur. Et confirmari potest hæc sententia Theologico argumento, quia alias inter diuinas relationes plures essent relationes reales, nimirum realis distinctionis, & dissimilitudinis quasi specificæ in ratione relatiua & similitudinis genericæ in eadem, & alia huiusmodi, quod est contra communem Theologorum doctrinam, qui tantum quatuor relationes reales in diuinis agnoscunt.

VI.
Secunda sententia

Contrariam sententiam tenet Scotus in 2. dist. 1. q. 4. & 5. & in 4. d. 6. q. 10. quem sequuntur Licherus, & Mairon. his locis: Item Mairon. in 1. d. 29. q. 6. Ant. Andr. 5. Met. q. 13. & lib. de sex princip. qu. 10. Fundamentum est tactum à nobis in prædicta difficultate, quia non apparet sufficiens ratio, ob quam similitudo inter duas paternitates non sit tam vera relatio, sicut inter duas albedines, cum in re ipsa habeant eundem modum convenientiæ & unitatis formalis, & eodem etiam modo à parte rei denominentur similes. Nam si quis velit dicere duas paternitates de-

nominari similes tantum fundamentaliter, vel negatiue, scilicet, quia non habent diuersam rationem, qui sic responderet, occasionem præbet, ut de quibuscunque rebus similibus idem dici possit, vel oportet ut sufficientem rationem differentie reddat, quæ nulla certe apparet. Idem argumentum est de relatione dissimilitudinis, quæ esse potest inter paternitatem, & relationem scientiæ, v. g. Item Arithmetici ponunt proportionalitatem fundatam in duobus proportionibus, quia sicut quatuor ad octo, ita tria ad sex: proportio autem non est nisi relatio: proportionalitas ergo nihil aliud esse videtur, quàm similitudo proportionum, quæ est relatio relationis. Atque hæc argumenta videntur sane convincere colequenter loquenda, quod vna relatio possit referri realiter ad aliam per relationes spectantes ad hoc primum genus. Quocirca sicut vnum, & multa, transcendunt omnia predicamenta, ita & relationes huius primi modi in rebus omnium predicamentorum inueniri possunt, non ut de essentia illorum, sed ut fundate in ipsis.

Nonnulli vero conantur has sententias in concordiam redigere, tum propter authoritatem D. Thom. tum propter vim rationum. Aijunt enim, vnam relationem posse referri, realiter ad aliam, non tamen alia relatione, sed se ipsa, ut videtur processus in infinitum, & eadem sit simul quo & quod. Atque ita, proprie relatio non fundat relationem, cum non sit alia relatio quæ refertur, & qua refertur: secundum rationem autem potest dici fundare, & in quantum ipsa secundum rationem distinguitur in id quod refertur, & quo refertur. Cui sententiæ fauet Caiet. 1. p. q. 42. artic. 1. fundatus in verbis D. Thom. in solutione ad 4. quæ sunt hæc. Vna relatio non refertur ad aliam per aliquam aliam relationem. Circa quæ Caietanus addit, ex hac conditione relationis, scilicet, ut non fundetur super aliam relationem, non sequi, relationes relationum non esse reales, sed eas non esse alias à fundamentis. Vnde subdit, quod si relationes diuine alioqui non haberent identitatem in natura, referri possent relatione reali æqualitatis: tunc vero æqualitas Filii ad Patrem esset ipsa filiatio, & Patris ad Filium, ipsa paternitas.

Veruntamen hæc sententia non videtur posse in uniuersum sustineri, nam, ut forma quoad aliquam denominationem suscipiendā per se ipsam sufficiens sit, vel (sicut aijunt) ut se habeat, ut quo & quod, necesse est, quod illa denominatio sit & eiusdem rationis cum tali forma, & intrinseca & inseparabilis ab ipsa, ut patet in actione quæ se ipsa fit, quia ratio actionis est, ut fiat, cum per eam fit aliquid, & in quantitate, quæ se ipsa est quanta intrinsece. At vero si vna relatio refertur realiter ad aliam, sæpe ille respectus est longe diuersæ rationis à propria ratione & effectu formali talis relationis, & est illi extrinsecus & accidentalis: ergo non potest illa relatio per se ipsam ita referri, sed per aliam relationem. Probatur minor, quia formalis ratio, & effectus paternitatis est referre ad filium: cum vero ipsa dicitur similis alteri paternitati, si ad illam refertur realiter, ille est effectus formalis valde diuersæ rationis cum tendat ad terminum diuersæ rationis, & habeat rationem fundatam diuersæ etiam rationis. Rursus hæc denominatio similis est accidentaria paternitati, nam si in mundo non esset alia paternitas, non denominaretur similis, nec referretur illo modo: ergo quando sic refertur, non per se ipsam, sed per aliam relationem refertur.

Et confirmatur, nam quando dicitur vna relatio referri ad aliam realiter, non vero per aliam relationem, aut intelligitur non per aliam, nec re, nec ratione distinctam, & hoc manifeste probatur esse falsum argumento facto, nam quæ potest esse maior distinctio rationis, quam quæ est ex terminis diuersarum rationum, & quæ satis est, ut vna relatio sit accidentaria alteri? Aut est sensus, quod non refertur per aliam relationem.

relationem re distinctam, sed ratione tantum: & hoc non est peculiare in relatione, nam supra etiam à nobis dictum est, relationes quibus referuntur res absolute, non distingui nisi ratione à fundamentis absolutis. Vel si quis contendat, fundamentum absolute referri relatione reali & in re distincta, vnam vero relationem posse referri relatione reali, non tamen in re distincta: primo supponit falsum, deinde oportet ut aliquam relationem huius discriminis reddat, quam hactenus nullus reddidit. Nam, quod quidam aient, relationem esse minutissimam entitatem, & ideo non posse fundare aliam in re distinctam, non satisfaciat, tum quia etiam relatio, quæ fundatur, est minutissimæ entitatis, tum etiam, quia iam supponitur prima relatio fundata in absoluto, & ideo mirum non est, quod possit fundare aliam proportionatam, sicut etiam motus vel tempus est satis diminutæ entitatis, & tamen potest fundare relationem.

X. Distinguendum ergo videtur: nam quidam sunt respectus intime inclusi in ipsis relationibus, & inseparabiles ab ipsis secundum proprias rationes earum: alii vero sunt accidentarii. Priores tantum sunt ad proprios terminos vel ad relationes oppositas: posteriores vero sunt ad alios terminos, qui simpliciter sunt per accidens ad esse talis relationis. Exemplum sit in paternitate, quæ hoc ipso, quod refert patrem ad filium, includit intrinsecè & inseparabiliter oppositionem cum filiatione, & consequenter etiâ distinctionem, est enim distinctio veluti quid superius inclusum in oppositione: oppositio autem est quid inclusum in correlatione. At vero respectus vnius paternitatis ad aliam in ratione similis non est ita inclusus in propria ratione paternitatis, & alia paternitas est terminus accidentarius & extrinsecus respectu alterius paternitatis.

IX. De prioribus ergo respectibus satis consentaneum est, quod Caiet. ait, et si secundum omnes illos eadem relatio referatur, non tamen alia relatione, sed se ipsa referri, cum in sua adæquata ratione omnes illos includat. At vero in respectibus posterioris generis non video, quomodo possit consequenter negari quin vna relatio possit per aliam referri, & ita aliam in se fundare, quia nec videtur posse negari, quin illo etiâ modo relatio realiter referatur, ut argumenta facta probant, nec etiam potest dici, quod illo modo referatur per se ipsam, ut persuadent ea quæ contra ultimam sententiam diximus. Hinc vero vltimus addo, sicut supra exponebam D. Thom. negantem relationes fundari in quatuor ultimis prædicamentis, ita etiam exponi posse de relationibus, nam relationes secundum propriam & intrinsecam rationem non referuntur relatione à se distincta, nec fundant illam at vero prout aliquo modo participant vel conueniunt cum quantitate in vnitatem vel multitudine, sic non repugnat referri relatione similitudinis, & aliis similibus, & hoc solum videntur probare fundamenta secundæ sententiæ.

XII. Ad argumentum autem de processu in infinitum primo responderi potest non esse magnum inconueniens illum admittere in relationibus, ut supra dicebamus de relationibus partium vel punctorum. Quam hoc videatur habere nonnullam maiorem difficultatem, quia inter fundamentum & relationem est ordo per se, at in per se ordinatis non videtur posse procedi in infinitum ut in libro secundo ab Aristotele traditur. Responderi vero potest, id esse verum in iis, quæ in re distincta sunt, non vero in iis quæ ratione distinguuntur. Secundo responderi potest, negando processum in infinitum, quia sistendum est in ea relatione, quæ eandem denominationem suscipit quam præbet fundamentum, & necessario ac intrinsecè illam secum affert. Ut, v. g. quamvis paternitas referatur similitudine, & illa similitudo sit similis alteri eiusdem speciei, non oportet ut sit similis per aliam relationem, sed de ipsa, quia illa denominatio est eiusdem rationis, & intrinsecè illam secum affert, quia

non potest referre vnam paternitatem ad aliam similem, quin illi respondeat alia relatio, cui ipsa sit similis & ad summum probant exempla de actione, & motu, & similibus.

Quod si instetur, quia quælibet relatio est capax alterius denominationis, relatiuæ diuersæ rationis, nã relatio similitudinis potest esse dissimilis alteri, & è conuerso. Respondeo, relationes fundatas in eodem fundamento absoluto, cum sola ratione distinguatur posse mutuo sese ita referre & denominare, vnde, cū illæ denominationes diuersarum rationum finitæ sint, necessarium non est, propter illas admittere in finitas relationes, vel processum in infinitum. De relationibus autem diuinis alia est ratio, quia seclusa identitate essentis, in qua non fundatur relatio realis, sed rationis, non habent inter se veram & realem similitudinem, sed potius distinctionem & dissimilitudinem: quam in propriis relationibus includunt, ideo non referuntur inter se alia relatione, sed se ipsis. sed hæc disputatio alterius est loci.

De relationibus identitatis, similitudinis & æqualitatis.

XIV. Tercio petitur in illa difficultate quæ sit propria relatio identitatis, similitudinis, & æqualitatis, & an possint eidem rei conuenire diuersis respectibus. Ad quod breuiter dicendum est relationem identitatis proprie esse identitatem essentialem, minorem numericam, ut abstrahamus nunc ab specificis, & superioribus omnibus, de quibus statim. Hoc patet ex Arist. dicente, illa esse eadem, quorum substantia, id est essentia, est vna. Quocirca ad argumentum ibi factum concedendum est duas qualitates ut sunt eiusdem speciei essentialis, proprie referri relatione identitatis, nã est eadem ratio in eis, quæ in ceteris entibus eiusdem speciei. Vnde consequenter et dicendum est, propriam relationem similitudinis (ad rem ipsam attendendo, quidquid sit de vfu vocum) esse illam, quæ conuenit qualitatibus ratione intensiōis: relationem vero æqualitatis esse illam, quæ conuenit quantitatibus ratione actuali extensionis. Denique (quod rem ipsam magis explicat) admittendum est, in eadem qualitate aliam esse relationem identitatis, seu fundatam in essentia eius, ut sic, aliam vero, relationem similitudinis, fundatam in vnitatem intensiōis, adeo ut hæc sit separabilis, ab illa, quia potest manere vnitatis essentia sine intentione. Imo & è conuerso, quamvis respectu alterius albedinis non possit alia albedo esse similis in intentione, quin sit etiam vna in essentia, tamen respectu nigredinis, possunt albedo & nigredo ut octo dici similes in modo seu gradu intensiōis, etiam si sint dissimiles, vel potius diuersæ in essentia. Neque est inconueniens huiusmodi relationes multiplicari, præsertim si verum est, non præterea multiplicari res, aut modos reales ex natura rei distinctos.

XV. Atque eodem modo sentiendum est de relationibus æqualitatis, & identitatis specificæ in quantitate continua: est enim eadem proportionalis ratio, ut in dicto argumento satis declaratur. Dico autem in quantitate continua, quia in numeris non videtur esse diuersa relatio æqualitatis, & identitatis specificæ, quia duo binarii, verbi gratia, ex propriis rationibus essentialibus habent æqualitatem, nec potest, non solum in re, verum etiam ratione separari inter eos relatio specificæ identitatis à relatione æqualitatis. Et ratio esse videtur, quia quantitas discreta non habet aliam propriam essentiam vel speciem, præter talem actualem extensionem seu numerabilitatem, neque ibi est separabilis talis species à tali multitudine, quod secus est in quantitate continua, nam, retinendo propriam extensionem essentialem, potest esse in maiori vel minori magnitudine.

An

*An unitas generica fundet relationem
realem.*

XVI. *Quarto* quaeritur in illo argumento, an relationes huius primi modi pertinentes ad unitatem fundentur in sola unitate specifica, vel etiam in generica. Et quamvis utraque pars possit facile disputari, ubi insinuatum est, & possent facile coniecturæ in utramque partem multiplicari, nihilominus breviter dicendum censo, non solum unitatē specificam, sed etiam genericam sufficere ad aliquam relationē, similitudinis. Quæ est expressa sententia D. Thom. 1. 1. p. q. 26. art. 1. ad 2. ubi ait, *Relatio, que importatur per hoc nomen, idem est relatio rationis tantum, si accipitur simpliciter idem: focus autem est, cum dicuntur aliqua eadem esse non in numero, sed in natura generis sive speciei.* Hoc etiam sequitur Ant. Andreas lib. quinto Met. q. 13. ad 3. Et rationes inter arguendum tacite satis probabiliter hoc persuadent. Neque obstat, quod res discretæ specie, potius dicantur dissimiles simpliciter, quam similes: nam hinc solum sequitur, relationem similitudinis genericæ præcise sumptæ non esse (ut ita dicam) tam potentem ad denominandum, sicut relationem similitudinis vel dissimilitudinis specificæ: nihilominus suam confert denominationem, nempe talis similitudinis, scilicet genericæ.

XVII. Videtur autem satis probabile, has relationes similitudinis in specie, vel genere non esse proprie diuersas nisi respectu diuersorum, seu quando unaqueque est ad æquata suo termino, & proprio ac formali fundamento. Ut v. g. licet duo homines sint similes in specie & genere, non est necessarium, ut duplici relatione reali referantur, quia in vna relatione ad æquata uterque respectus inducitur, scilicet, in relatione specificæ similitudinis, quia illa relatio prout est in re, non fundatur in sola differentia vltima, sed fundatur in tali forma dante tale esse specificum. Relatio tamen, qua homo est similis equo in ratione animalis, diuersa est in specie ab illa qua vnus homo est similis alteri, nam illa etiam includit omnem aliam relationem similitudinis, quæ inter hominem & equum excogitari potest in gradibus superioribus inclusis in ratione animalis: & sic est proportionaliter Philosophandum in cæteris. Atque ita euicitur facile non solum infinitas, sed etiam nimia multitudo relationum solum enim multiplicatur iuxta multitudinem, & formalem distinctionem terminorum seu unitatum.

XVIII. *Quæri* vero non immerito potest, an huiusmodi relatio possit interdum fundari in unitate Analoga, in ea præsertim, quæ dicit vnum conceptum obiectiui, intrinsece conuenientē utriusque Analogatorum. Nam de aliis modis Analogiæ certum est non sufficere ad relationem realem, quia non fundatur in aliqua propria similitudine, aut conuenientia reali, sed in Metaphorica, quæ præcipue fit per comparisonem intellectus nostri. In priori vero genere Analogiæ non est improbabile posse inter Analogata interuenire relationem realem fundatam in tali unitate, quia inter illa extrema est aliqua realis conuenientia. Vnde interdum D. Thom. significat effectus Dei referri ad Deum aliqua relatione realis similitudinis vel imaginis, ut sumi potest ex 1. p. q. 4. a. 3. ad 4. cum his quæ ibi acute notat Caiet. idem ex eodem D. Tho. 1. p. q. 93. a. 1. ad vlt. de potent. q. 7. a. 6. ubi ait, esse in creaturis relationes varias ad Deum, prout ipse illas producit à se ipso diuersas, aliquantulum tamē sibi adsimilatas. Ita sentit Ant. Andr. supra.

XIX. Vltimo petitur in illa difficultate, an hæ relationes ut fundantur proprie in multitudine, & inter varios numeros versantur sint reales relationes, vel solū denominationes ex cōparationibus, quas noster intellectus facit. Et quidem si attendamus communem modum loquendi Aristotelis & aliorū Phylo-

sophorum, non est dubium, quin ita censeant de his relationibus, sicut de aliis realibus, quæ ad hoc primum genus spectant, nā denominationes æqualitatis, vel inæqualitatis eodem modo ex rebus ipsis sumuntur. Si autem relatio est res vel modus ex natura rei distinctus à fundamento, difficile est explicare talem relationem realem in binario vel ternario fundatā, quia non potest esse vera vna & simplex in toto binario, in quo enim subiecto esset? Neque enim potest esse in unitate potius quam in alia, cum nulla sit disparitatis ratio, neque in omnibus simul, quia non potest vnum accidens esse simul totum in multis subiectis, & in singulis eorum, ut per se constat. Maxime quia nulla unitas est dupla aut tripla, ut possit in sola illa esse tota relatio dupli aut tripli. Nec vero potest esse partim in vno subiecto, partim in alio, alias non esset vere vna & simplex, sed composita, eodem modo quo numerus. Nō potest autem esse illo modo composita, si relatio est res aut modus distinctus: alias in qualibet entitate cōsurgeret specialis entitas, aut modus qui per se sumptus esset vna relatio, & cum aliis componeret vnam tantum secundum quid, ad eum modum, quo numerus est vnus. Id autem esse non potest, quia in nulla unitate per se sumpta, est ratio aut fundamentum, vnde talis modus relucet. At vero si relatio non est aliquis modus realiter additus suo fundamento, facile intelligitur, numerū eo modo quo in rebus est, & secundum illam imperfectam unitatem quam habet, posse per modum vnionis extremi comparari & referri ad alium numerum ut æqualem aut duplum, ut alio simili modo. Quia fundamentum illius relationis in singulis numeris nihil aliud est, quam ipsamet quantitas discreta, ut habet talem unitatem, vel diuersitatem ab alia, & illam quantitas in re est ipsa relatio, quatenus potest illam denominationem tribuere subiecto in ordine ad similem vel dissimilem terminum.

Quales sint relationes ad primum fundamentum pertinentes.

AD tertiam difficultatem dicendum est, non esse necessariam, ut relatio huius primi modi sit, aut realiter addita, ipsi fundamento tanquam ex natura rei distincta ab ipso, aut mera denominatio extrinseca ex coexistentia alterius extremi, nam inter hæc duo potest medium inueniri, nimirum, quod sit denominatio intrinseca includens coexistentiam alterius extremi ad quod dicitur habitudinem. Cum autem quaeritur de hac habitudine, an præsupponatur intrinsece in fundamento, etiam quando terminus non existit, licet tunc non habeat rationem prædicamentalis relationis, sed transcendentalis, an vero de nouo addatur posito termino: dicendū est, non præsupponi proprie sub ratione habitudinis vel relationis, vel prædicamentalis vel transcendentalis, nā ut recte in tertia illa difficultate probatur, fundamentū huius primi generis per se non includit habitudinem transcendentalē: nulla ergo formalis habitudo præsupponitur intrinsece in tali fundamento: neque etiam realiter & intrinsece additur, posito termino.

Dicendum ergo est, habitudinem illam fundamentalem, & quasi inchoatiue præsupponi ex vi fundamenti compleri autem per positionem termini: compleri (inquam) non per extrinsecā additionem, sed solum per extrinsecā positionem termini. Nam fundamentum ipsum aptum est de se ad tribuendam huiusmodi denominationem relationem: & hac ratione dicitur continere habitudinem relationem quam si inchoatam: ut tamen actu tribuat illam denominationem, requirit, terminum actu existentem: & ideo posito termino completur statim illa denominatio absque vlla additione intrinseca reali. Habitudinem autem relationis in præfenti non est aliud, quam hæc eadem, denominatio relatiua, seu forma ipsa quatenus actu tribuens illam. Quæ autem conditio sit

*Affirmativa
respon
detur.*

*Vnitatis
Analogica
an fundet
relationem
prædicamentalem.*

fit in fundamento necessaria, ut ex parte sua sit apta tribuere hanc denominationem, dicemus commodius in sectione seq. Et hactenus de primo membro illius diuisionis.

SECTIO XII.

De secundo genere relationum in potentia vel actione fundato.

Circa secundum genus relationum multa attinguntur in quarta difficultate superius posita. De quibus relationibus in communi loquendo certum est, esse reales & predicamentales: ita enim sentit Doctores omnes, & ita exponunt Arist. Nam si inter aliqua extrema concurrunt omnia necessaria ad huiusmodi relationem, maxime inter hæc, ut ex dictis constare potest, & magis patebit ex dicendis. In particulari vero duo sunt, quæ hic habent difficultatem. Primum est, an omnes relationes quas Aristoteles gratia exempli numerat in illo genere, sint vere reales & predicamentales. Secundum est quodnam sit proprium fundamentum talium relationum.

An omnes relationes secundi generis sint reales.

Circa priorem partem difficilis sane est prima obiectio, quæ in quarta difficultate fit contra membrum illud de rationibus fundatis in futura actione quæ dicuntur esse inter id quod futurum est, & illud quod faciendum est: hæc enim sunt Aristotelis verba: obiectio tamen facta, ut existimo, concludit talē relationem non posse esse realem ex defectu termini, & proximæ conditionis requisitæ. Unde dicendum existimo, non omnia exempla, quæ Aristoteles ibi posuit esse in rigore de relationibus realibus & predicamentalis. Ipse enim non intendit illo loco tradere propriam & rigorosam coordinationem predicamenti ad aliquid, sed explicare omnes modos relationum, & ad cætera quadam capita eos reuocare siue sint propria relatiua realia, siue solum ea imitetur secundum nostrum loquendi modum. Et potest hoc confirmari, nam ibidem ait, ad hoc secundum genus pertinere, quadam relatiua, quæ dicuntur secundum priuationem potentia, ut impossibile, & similia: constat autem hæc non esse vera relatiua realia, cum priuatio potentia non sit reale fundamentum. Solum ergo ponuntur in hoc genere per quandam reductionem: idem ergo dicendum censeto de relationibus, quæ dicuntur fundari in actione futura.

At vero de relatione exorta ex præterita actione, quæ terminum actum existentem reliquit, aliter censendum est. Illa enim relatio realis est, & predicamentalis, duratque quamdiu effectus & causa actum existunt, ut habet communis sententia. Nam ibi interueniunt extrema realia, & apta ut inter sese habere possint realem ordinem (agimus enim nunc de causis creatis) & fuere iam in re posita omnia, quæ ad illum ordinem seu relationem necessaria sunt, ut patebit soluendo difficultatem propositam.

In qua in primis petitur quomodo relatio quæ habet possit fundari in actione præterita, quæ iam non est. Dicendum vero est, non fundari in illa ut in proprio fundamento, in quo insit, aut à quo habet suam entitatem, sed illam esse rationem fundandi talem relationem, vel, ut supra dicebamus, conditionem requisitam ut talis relatio resultet. Non est autem talis ut ab illa relatio pendear quasi in fieri & in esse, & ideo nihil mirum est quod transacta actione maneat relatio. Est autem illa conditio requisita, non solum quia per eam positus est terminus necessarius ad talem relationem quantum ad solam eius entitatem.

Tom. II. Metaphys.

absolutam: potuit enim poni in rerum natura per aliam actionem, quod non satis fuisset ut insurgeret dicta relatio. Est ergo necessaria, quia per illam influit causa in talem effectum: ex quo influxu manet ordinata ad illum effectum, & respectiue denominata à relatione insurgente, vel à suamet potentia seu virtute agendi, quatenus peculiariter influit in illum effectum.

De fundamento proximo si aternitatis.

Vnde controuerti solet, in quo principio proxime insit, & cum quo identificetur talis relatio, an scilicet, in potentia proxima & accidentali, vel in principali & substantiali. Nam multi censent esse in principio proximo seu in potentia generandi, quod posset apparentibus argumentis fieri verisimile. Alii vero existimant, ipsummet principale principium & substantiale identificare sibi hanc relationem. Fortasse tamen verum est, ad vnumquodque principium sequi relationem illi accommodatam, quia est par ratio de utroque: nam relatio potentia absolute sumpta, & abstrahendo ab actu, utriusque in est, ergo etiam in utroque ut est sub actu suo aliqua relatio consequitur. Relationem autem propriam paternitatis existimo esse illam, quæ proxime inest ipsi substantiæ medio principio principali: nam in supposito genito, filiationis relatio sine dubio afficit immediate ipsam substantiam vel etiam ipsam suppositum, ut multi volunt, de quo late tractaui in 2. to. 3. par. Ergo, cum hæc relationes sibi proportionatæ respondeant, etiam relatio paternitatis proxime afficit substantiale principium eique identificatur. Item quia separato quolibet accidente realiter distincto, etiam per potentiam Dei si maneat substantiale suppositum quod genuit, & quod genitum est, durat relatio paternitatis, alioqui nulla superest ratio ad ponendam illam, nam ille homo vere ac propriissime dicitur pater: ergo signum est hanc relationem esse intime in ipsa substantia. Tandem est hoc maxime consentaneum modo denominationi eius, nam solum denominat ipsum suppositum principaliter operans.

Non manebit autem hæc relatio paternitatis mortuo filio, ut falso in illa quarta difficultate assumitur. Neque vere ac proprie dicitur pater esse ille, qui orbatus est filiis: sed fuisse, quod non solum in philosophico rigore verum est, sed etiam vulgari sermone obseruari videtur. Quapropter non est idem, esse patrem, quod genuisse, nam hæc est denominatio extrinseca ab actione præterita, & ideo durat, etiam si mortuum sit genitum: altera vero est denominatio relatiua, quæ includit coexistentiam extremorum.

An relatio agentis illi insit.

Atque hinc à fortiori constat (quod vltius in ea quarta difficultate tangitur) relationem actum aliter agentis seu generantis, esse etiam realem, nam si hoc verum est post actionem præteritam, cur non magis præterita & durante actione? Duo vero hic inquiri possunt. Vnum est an hæc relatio sit intrinsece inherens ipsi agenti, vel solum extrinsece denominans, sicut ipsa actio. Videtur enim hoc posterius sufficere ad relationem realem, & esse magis contentaneum denominationi talis relationis. Actio enim ipsa realis est, & realiter denominat agens, & in hac ipsa denominatione includitur transcendentalis quedam habitudo ad effectum, quia actio ut actio terminum respicit, sicut infra dicemus: ergo similiter poterit relatio esse realis, quamuis solum extrinsece, & media actione denominet ipsum agens, tanquam relatum ad terminum seu effectum suum.

Nihilominus dicendum est, propriam relationem, quæ per se refert causam agentem vel generantem ab eo instanti in quo actu generat, esse intrinsecam, & im-

V.

VI. Qui genuit, si priuatur filio, non remanet pater.

VII.

VIII.

Y y

& im-